

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

497 *In die Parasceves, de passione Domini nostri Iesu Christi.*

Largire mi constantiam,
Ut ne salute hac excidam.

Berleih mir auch Beständigkeit/
Zu meiner Seelen Seligkeit.

Ich danck dir Christ O Gottes Sohn/
Dass du mich solchs hast erkennen lahn/
Durch dein göttliches Wort:

Amen, in nomine Jesu,
Amen

In die Parasceves, de passione Domini nostri Iesu Christi.

*Textus ex 2. Sam. 3. v. 38. Numignoratis, quod jam Princeps
& maximus cecidit hodie in Israel.*

EXORDIUM.

CUm pietate & patientia inclytus ille Jobus, permissu Dei à fathana, non modo ædibus, liberis atque pecoribus privatus esset: sed & ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem percussus, in medio pulvere sederet, & tecta se raderet: Tres ejus amici venerunt, ut visirarent & consolarentur eum: Verum illi non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum, in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem, Job. 2. v. 11. & seqq.

Hoc scopo nostro applicabimus.

Jobus fuit Rex in Edom, alias Jobab vocatus, cujus mentio fit, Gen. 36. v. 33. & quia erat simplex & rectus, ac Deum timens, & recedens à malo: Deus copiosa benedictione eum affecerat. Nati enim ei sunt filii septem, & tres filia. Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinae & familia multa nimis. Imo ma-

gnus erat inter omnes orientales, Job. 1. v. 2. 3.

Ita Christus Servator noster, est Rex super Sion, Psal. 2. v. 6. sanctissimus, Dan 9. v. 2. 4. qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, 1. Pet. 2. v. 2. 2. ideo affatim pater ejus cœlestis ei benedixerat, gloria & honore coronavit eum, Psal. 8, 2. gentes illi hæreditatem suam, & possessionem terminos terræ dedit, Psal. 2. v. 8.

Quemadmodum vero *felicitas Jobi subito immutata est*, ut amicie ejus, qui eum in pristina dignitate florentem viderant, non cognoverint eundem esse, cum caro ejus scateret vermicibus, & sordibus pulveris, Job. 7. v. 5. Ita & Servator noster optimus, in passione sua, miserandum in modum deformatus fuit, ut vermem se, non hominem esse, conqueratur, Psal. 22. v. 8. Esa. 53. v. 2. 3.

O humillimam exinanitionem! O indignissimum contentum! Is, qui est Dominus gloriae, 1. Cor. 2. v. 8. unigenitus filius, qui est in sinu patris, plenus gratia & veritate, Joh. 1. v. 14. jam *in loco Calvariae offenditur*, inter ossa mortuorum, & crania male-

maleficorum, qui ibidem ultimo supplicio affecti sunt. Totum ejus corpus vulneribus scætet, manus & pedes ejus perforati & cruci affixi sunt, caput ejus spinis coronatum, & latus ejus lancea percussum est: ibi in medio maleficorum pendulus est, quasi omnium maximus esset. Omnes videntes subsannant eum, aperiunt labia, & movent caput, Psal. 22, 8.

Nos ejus amici, jam in æde Domini convenimus, ut planctu eum honoremus. Verum, uande verba sumemus, ad miseriam ejus eloquendam? Quæ lacrymæ sufficient, ad acerbissimam ejus mortem, pro dignitate deplorandam? Jobi amici federunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, nec verbum præ mœrore loqui potuerunt: Quid mirum, si nobis quoque vox deficiat, quando cogitamus, eum caput inclinare, & spiritum emittere, à quo omnes animantes vitam habent. Quilibet cum Jeremia lamentetur: Quis dabit capiti meo aquam c. 9. v. 1.

Occasionem subministrant verba prælecti textus. Etsi enim illa non de Christo, verum de Abnere agant, quomodo rex David mortem ejus deploraverit, postquam ille clancularie à Joab interemtus est: attamen commode etiam eadem in hodiernum diem applicare possumus, ubi quidem non homo plebejus, sed princeps, & quidem maximus in cælo & in terra cecidit.

Quodsi igitur David mortem Abneri tanto luctu prosequutus est: quanto magis nostrum erit, epicedia hodie nostra querula voce insonare, & nos totos in lacrymas & lamenta resolvere: ubi Christus servator

noster, ex ardentissimo erga genus humanum amore, morte tam dolorosa & ignominiosa obiit. Lugeant omnes Reges terræ, Rex enim Regum, & Dominus Dominantium spiritum emisit. Contristentur omnes sacerdotes, verus enim Sacerdos juxta ordinem Melchisedec vitam cum morte commutavit, Psal. 110, 4. Heb. 7. Doleant omnes Principes, Dux enim vitæ mortem oppetit, Act. 3. v. 15. Mœreant divites & pauperes, hodie enim is vita excessit, qui cum esset ditissimus, propter nos egenus factus est, 2. Cor. 8. v. 9. Lamententur omnes nobiles, homo enim nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, Luc. 19. v. 12. Nanas agant agricole, seminator enim valedixit vitæ, qui exiit seminare semen suum, Joh. 8. v. 5. Plangent & lacrymentur omnes homines, dedit enim pretium redemptionis semetipsum pro omnibus, 1. Tim. 2, 6. & una oblatione consummavit in æternum, eos, qui sanctificantur, Heb. 10, 14.

Sed & vicissim in Domino latemur, & exultemus, quod Deus cœlestis pater, pro infinita sua sapientia, tam præclarum medium reperit, quo lapsum genus humanum è fovea miseriarum ereptum, & in libertatem assertum est. Per mortem enim suam destruxit eum, qui habebat mortis imperium. Heb. 2, 14.

Verum absque ulteriori præfamine ad explicationem textus accedemus, hæc duo devote contemplaturi:

I. *Emphaticam interrogationem.*

II. *Facti intimatorem.*

J. J.

Exege-